



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quibus verbis excitari debeant famuli. Cap. XLI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

tranda corruptores suorum filiorum, eos efficiat. Quamobrem obiurgandi sunt sæpè, nè huiusmodi homines alant, nè multitudine famulorum inutilium, quæ familias perturbet, delectentur, opes suas in alios vsus conferant, alant potiùs seruos Christi, pauperibus subueniãt, sciant in multas calamitates incidisse, & perpetua infamia multas familias fuisse notatas, ob hanc vnã causam, quòd nulla in eis erat disciplina; pater familiã turpiter iracundiã, aut cupiditati seruebat, & famuli dominabantur. hinc homicidia, hinc supra, hinc adulteria, hinc multas calamitates exortas esse commemorabit.

Quibus verbis excitari debeant famuli.

Cap. XLI.

**V**BI hoc argumentum tractauerit, ad famulos orationem conuertens, explicabit pluribus ea verba B. Pauli: Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum: quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut domino, & non hominibus, scientes, q̄ à domino accipietis retributionem hereditatis. Quæ verba necessariò sunt sæpè explicanda, cum plerique non seruiant in domino, sed ad oculum, & vt placeant; quod maximè in aulis principũ solet accidere: quo loco, sunt excitandi qui seruiunt, vt seruiant in Domino, eatenùs pareant dominis suis, quatenùs quod iubet, cum lege Domini consentit, aut saltẽ diuinæ legi nõ aduersatur. reprehendendi sunt huius seculi mores, quòd famuli, quòd familiares, vt placeant dominis, illis adulantur; malum

malum dicunt bonum, & bonum malum: quidquid dicunt & faciunt, id omne ad propria commoda referunt, vt in animos dominorū illabātur, indè ditentur, honores consequantur, & vt vno verbo dicam, indè dominantur; & cum maximè blandiri videantur, eos, quibus proprij commodi causa seruiunt, odio habent, eos clam vituperant, & in odium hominum adducunt. Hos sathana ministros, infideles seruos, aut potius domesticos inimicos, pestem vitæ ciuilibus nominabit; duplices, inconstantes: & dicet, simulationem diu latere non posse; & quod magis ad rem pertinet, sumpturum Dominum poenas de ijs, qui iniusti et ingrati fuerint in eos, quibus in ipso seruire debuerunt, expectantes etiam ab ipso non tam in hoc seculo, quàm in futuro, remunerationem.

Quo modo impellendi sint rurì habitantes.

Cap. XLII.

**Q**VONIAM potissimùm scribimus seminariorum clericis, quorum multi rurì habitabūt; dicamus de precipuis rusticorum hominum moribus, & quæ ratione ad eos habendus sit sermo. Inuidet plerunquè, qui rurì habitant, in ciuitate degentibus: quæ in re vtile erit, incommoda in vrbe degentium, inuidias, calumnias, molestiasquæ, quæ in rerum vrbicularum administrationibus sentiuntur, commemorare: voluptatem, quæ ex agricultura percipitur, eiusquæ nobilitatem ante oculos ponere, quam, vt inquit D. Augustinus, Adam etiam in paradiso exercuisse, nō labore seruili, sed honesta animi voluptate, credendum est: agriculturam esse quendam librum, in quo Dei sapientiam & potentiam legere & contemplari

plari